

consecret; ipse delibet procedendo de Virgine; ipse gaudii poenitentiae pomum susceptum ab Ecclesia, Angelis transmittat ad coelum.

PLS
I, 963

Lib. IX. ... [anima Christi] in se verum Deum, veramque carnem adunatam, unam personam ostendit. Quae missa in corpus, cum corpore egressa, intactum uterum Virginis derelinquens, nec ante se, nec post se habendo consortem nascendi, unica effecta est Virginis matris. Quae mammas lactigeras porrigendo iure dicitur mater.

1403

PLS
I, 1027

Lib. XII. [...] *Considerabam* (inquit) *ad dexteram, et videbam, et non erat qui agnosceret me. Periiit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.*¹ Et hic tantus, cui lux, sidera, et omnia elementa inseruiunt, ut nos humilitatem doceret, quae de terris caenoque peccati ad coelum et perpetuam laetitiam sublimat, quasi peregrinus et advena, qui a nullo nisi a sola matre cognosceretur, in terris conversatus cum hominibus fuisse docetur. Nam si Ioseph virum matris, qui propter custodiam Virginis nomen patris sortitus est, interrogas, in tantum se testatur nescire, unde genus sanguinis trahat hic, qui * fugere commonetur, ut cum eum in utero Virginis praesensisset, nisi ab Angelo fuisset edoctus, dimittere et prolongare eam in secreto mentis tractaret. Sola ergo mater, nullo teste masculo, novit genus, Gabriele Angelo exponente eam spiritu maritatam.

1404

*1028

ENARRATIO PSEUDO-ATHANASIANA (saec. v)

IN SYMBOLUM APOSTOLORUM

PLS
I, 788

[...] Ex Maria Virgine. Honor materni sexus incorruptae Virginitatis professione monstratur, ne divisus esset homo et Deus; quamvis habens utriusque status plenitudinem crederetur. Sed quamvis homo nasceretur ex Maria, Dei tamen virtus probaretur ex Virgine; ut et fides generis maneret in carne, et potentia maiestatis apparet in incorruptione.

1405

¹ Ps. CXLI, 5.

² Cf. PLS I, 785 ss.

● PHILO CARPASIUS (saec. v), PG 40, 108.

● PLS I, 855, 922, 923, 935, 962, 981, 987, 988, 994, 1000, 1015, 1025.